

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

9 September 2011

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Why scriptural language is difficult (Alexander of Ashby)

Carnalis autem animus in inicio sacre erudicionis tripliciter turbari solet. Prima turbacio est de obscuritate significacionis, secunda de uarietate exposicionis, tercia de mutacione personarum.

Obstupescit enim carnalis animus et miratur quare Deus in scripturis allegorice et obscure loquatur, tanquam uelit occultare uiam salutis qui dicitur uelle *omnes homines saluos fieri et ad agnitionem ueritatis uenire*. Sed audi quid egregius doctor Augustinus de obscuris scripturarum dicat: "Sunt in scripturis sanctis quedam profunda misteria que ad hoc obsconduntur ne uilescent, ad hoc queruntur ut exerceant, ad hoc aperiuntur ut pascant. Scriptura enim sacra, si nusquam esset aperta, non te pasceret, si nusquam occulta, non te exerceret." Iterum super illum locum magnus dominus noster: "Confitere, inquit, infirmitatem qui peruenire uis ad diuinitatem, cuius intelligencie non est numerus. Sed in hac difficultate intelligenda esto mansuetus quia *Dominus est suscipiens mansuetos*, scilicet ad intelligenciam archanorum.

2. A prayer for the Gothic people (Alcuin)

Gens bona Gothorum semper sine fine valet,
Electus domino populus, plebs inclyta salve.
Praeclaris gentes vicisti maxime bellis
Quam multas quondam: hostes modo vincite Christi
Per clypeum fidei, per fortia tela salutis.
Auxiliator erit vobis deus almus ubique,
Si iam firma fides habitat sub pectore vestro,
Atque opus egregium sequitur bona dona fidei.
Has, rogo, litterulas placido percurrere sensu,
Quas modo direxit vobis dilectio sancta.
Prospera cuncta deus Gothis concedat Olimpi,
Omnibus aeterni tribuens bona gaudia regni.
Inque piis precibus memores estote, rogamus,
Albini semper, scripsit qui talia vobis.
Vos deus omnipotens totum conservet in aevum,
Aeternum tribuens vobis per saecula regnum.

3. Achilles assigns blame for the Trojan War (Guido de Columnis)

Amici reges, duces, et principes, vos omnes qui mecum vna presentis guerre sarcinam tamquam communes principes insimul supportamus, vnde nos tam inconsulte deliberacionis spiritus instigauit ut pro vnius hominis, scilicet domini Menelay, recuperanda uxore, uidelicet domina Helena, dimissis regnis nostris ab aliis lacerandis, nostra eciam patria, uxoribus nostris et filiis, in terram accesserimus alienam, pro cuius recuperacione iam fecerimus prodigaliter tot graues expensas, personas nostras morti subiecerimus et laboribus infinitis, cum iam de nobilibus nostris et militibus fortibus et robustis multi sint morti traditi qui forte nobiscum adhuc hodie in eorum incolumitate uigerent, et ego in multis uulneribus iam receptis a me multum cruoris mei amiserim, et non sint multi dies quod in morte Hectoris receperim tale uulnus ex quo nunquam amplius posse uiuere confidebam? Nunquid Helena tanti pretii est quod pro eius recuperacione mori nobiles tot contingat?

4. The upper zone of the heavens (Pseudo-Isidore)

Etenim excelsum spatium, quod caelo pertinere diximus, purissimum ac subtilissimum, nec nubium tumores nec uentorum inflationes nec pluuiarum aut imbrum humidas conspirationes nec niuium uel grandinum gelidas coagulationes nec aeris ulla mutationes nec tempestatum et tonitruum fragores, sed nec ipsum etiam aerem qui uolantium auium corpora et ipsarum nubium spissionis aeris ipsius molem sufferre ualuisset et animantium diuersarum uitas aerii spiritus reciproca inflatione reficeret atque alitu animaret nec ulla omnino diuersorum hemisperiorum perturbationes omnimodis habet; sicut Olympi montis altissima terrarum et ob id ceteris incognita hominibus iuga conscendentibus conprobatur et eorum relatione refertur, qui aceto umectas spongas ad conseruandam aerii spiritus inflationem et respirationem ori ac naribus circumponentes anniuersaria consuetudine, nescio qua superstitione ducti, conscendunt et nec ibi ullam auram nec nubem nec pluuiam nec uenti aliquem motum uidisse se confirmant.